

Sallusti Crispi: De Catilinae Coniuratione 10, 1-6

1) Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani ab stirpe interiit, cuncta maria terrae/que patebant, saevire fortuna ac miscere coepit: 2) Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium divitiae/que, optanda alias, oneri miseriae/que fuere. 3) Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. 4) Namque avaritia fidem, probitatem, ceteras/que artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. 5) Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitias/que non ex re, sed ex commodo aestumare, magis/que voltum quam ingenium bonum habere. 6) Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo atque optuma crudele intolerandum/quefactum.

domare, domo, domui, domitum	zähmen, bezwingen
ferus, -a, -um	wild, unzivilisiert
subigere, subigo, subegi, subactum	unterwerfen
aemula, -ae f.	Nebenbuhlerin, Konkurrentin, Rivalin
ab stirpe	von Grund aus, völlig
interire, intereo, interii, interitum	untergehen
miscere, misceo, miscui, mixtum	durcheinanderbringen, zersetzen
dubius, -a, -um	zweifelhaft; hier: bedenklich
otium, -i n.	Muße
alias	sonst
optanda (von „optare“)	etwas Wünschenswertes
miseria, -ae f.	Unglück
cupido, cupidinis f. = cupiditas	Begierde
probitas, -atis f.	Anstand, Ehrlichkeit, Rechtschaffenheit
subvertere, subverto, subverti, subversum	untergraben, aushöhlen
venalis, -e	käuflich
subigere	hier: dazu bringen
in lingua promptum habere	auf der Zunge in Bereitschaft haben
ex re ... ex commodo	nach der Sache ... nach dem Vorteil
contagio, contagionis f.	Berührung, Ansteckung